



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Opinio Scoti, Durandi, & quorundam Nominalium. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

na sit vera, distinguenda est iuxta ea, quæ diximus: aut enim per illud esse diminutum intelligit hic auctor conceptum formalem creaturarum, & esse illud intelligibile priori illo modo: & ita sine dubio melius est res in Deo, quam in proprio genere: quia secundum illud esse est ipse Deus, & corruptionis expertus, non autem in proprio genere: in quo sensu ut retinimus paulò antea, dixit Aug. creaturas melius esse in ipso Deo, & arte sua, quam in seipsum. Si vero sermo sit de esse intelligibili creaturarum posteriori illo modo explicato, scilicet de esse illo obiectivo earum, adhuc etiam distinguere necesse est: aut enim loquimur de illo, quoad existentiam actualem, & ita melius est in proprio genere quælibet res, quam in Deo: nam in proprio genere actu existit, in Deo vero non existit reali, & actuali existentia, sed solum representatione, & cognitione. Si vero loquamur de esse illo intelligibili quoad representationem, melius in Deo res ipsa relucet, quam extra, in proprio genere. Reliqua, quæ pro se afferebat Wicleffus, latius profequitur Wald. nobis vero dicta sufficiant.

DISPVTATIO LXXI.

Verum essentia diuina, an res creata obiectiue in mente Dei veram habeat rationem ideæ.

Opinio Scoti, Dur. & quorundam Nominalium, cap. 1.
Essentiam Dei non rem obiectam diuino intellectui esse ideam, verior sententia est, cap. 2.

CAPVT I.

Opinio Scoti, Dur. & quorundam Nominalium.

ANteaquam quæst. propositam aggrediamur, duo breuiter præmittenda sunt: vnum est iuxta doctrinam Augusti. ab omnibus receptam, lib. 83. quæst. q. 6. idem Græcis idem esse, quod Latinitis est, *Forma*, non quancumque, sed prototypi, cuius instar aliquid fieri dicitur, quam Aug. originalem formam appellauit, & nos communiter etiam ideam dicimus in creatis artificibus, satis est manifestum: nam illa forma, quam aliquis concipit interius, aut exterius, ut ad illius similitudinem construat domum, aut pingat imaginem, dicitur idea artis. Alterum est, sine controuersia omnes docere, ideas creaturarum esse in mente diuina. Ex Philos. ita asserit Plato in *Timæo*: imo ut inquit Aug. q. illa 46. primus fuit, qui nomen *Idea* adinuenit, licet primus non fuerit, qui ea de re disputauit. Nam, ut scribit Euseb. lib. 11. de præpar. *ipang. c. 1.* Socrates, primus de ideis disseruit, à quo Plato accepit, aut potius, ut testatur Iustin. in orat. paran. ad gentes, accepit à Moyse, cum Dominus dixit Exodi 25. *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Platonem vero has rerum ideas in mente Dei asseruisse, affirmat August. 12. de ciuit. cap. 26. quocirca, ut Arist. Platonem non intellexit, aut ipsum maligne interpretatus est, ut liberius impugnaret, asserens posuisse ideas, vniuersales quasdam naturas separatas, quarum participatione singularia producerentur, cum tamen ex verbis Platonis id non colligatur. Eadem ideas in Deo esse docuit Seneca Epist. 66. Ex Patribus vero disertis verbis Dionys. cap. 5. de diuin. nomin. non longe à fine August. loci citatis, & 13. de ciuitat. cap. 25. denique 5. de Genes. ad litteram, cap. 13. & 14. & lib. 65. q. 9. quibus in locis illud Ioan. 1. *Quod factum est in ipso*

CAP. I.

vita erat, refert ad ideas, & rationes rerum in mente diuina existentes. Quare non video de hoc modo loquendi aliquem dubitare.

Verum quidnam existens in Deo nomine *Idea*, significetur, non omnes Scholastici eodem modo sentiunt. Sententia est Scoti in 1. d. 35. q. 1. §. Ad ista, primum ideas in mente diuina esse ipsasmet creaturas obiectiue in ea existentes, seu illud esse diminutum, quod præced. disp. explicatum est. Deinde, ideam creaturarum non esse, essentiam ipsam diuinam, etiam ut habet rationem intellectiōis, & representationis cum aliquo respectu ad creaturas. Cum Scoto sentiunt Okam in 1. dist. 35. q. 5. & Gabr. q. 5. art. 2. notatione 2. Et addunt ideam esse quidem creaturam secundum esse obiectiuium, sed connotare etiam essentiam diuinam, quia in ea repræsentatur. Eorum opinionem putat probabilem Maior in eadem dist. q. 1. in fine, & cum illis facit Ricard d. 6. artic. 2. q. 2. in eo quod docet inter alias acceptiones hoc modo ideam accipi posse, tametsi concedat etiam ipsi essentia diuinam rationem idē conuenire. Omnino vero videntur hanc sententiam secuti Durand. in 1. dist. 6. q. 3. & Alliacen. in 1. q. 6. art. 2. docent enim primum, creaturas obiectiue existentes in mente diuina esse perfectas rerum ideas. Addunt vero deinde, essentiam diuinam quodammodo ideam creaturarum esse, sed imperfectam: nam si consideretur secundum perfectiones, quibus opponitur creaturis, ut infinitum, increatum, nullo modo est idea, nec imperfecta: quia hac ratione nullo modo eam creaturæ imitantur: si vero secundum alias rationes, ut sapientiam, vitam, &c. dicit esse quodammodo ideam rerum in genere, hac est, secundum rationes genericas, sed imperfectam, quia secundum illas non imitantur ipsam perfectam, cum non assimilentur ei vniuerse, sed analogice: at secundum rationes específicas nullo modo esse earum ideam, quia nec analogice secundum illas cum ea conueniunt, aut ipsam imitantur, quod ad rationem imperfectam solum ideæ necessarium erat: quæ omnia, mea quidem sententia, non negaret Scotus, quare Durand. & Alliacen. cum eo omnino conueniunt. Quod vero ulterius addit Alliacen. cap. sequenti explicabitur, neque enim diuersum quid est à prædicta sententia.

Prior itaque pars sententiæ Scoti, videlicet creaturas obiectiue Deo præsentem esse rerum ideas, probatur duabus rationibus: prior est, idea est forma exemplaris, cuius inspectione instar illius aliquid fit, quam etiam causam exemplarem, seu exemplar nuncupamus: ipsa autem creatura existens in diuino intellectu est res cognita, quam intuens Deus ad eius similitudinem rem extra producit, ergo vere, & proprie illa est idea. Posterior ratio, quæ etiam præcedens confirmatur, talis est: id quod in mente artificis creati est idea, proportionem seruata debet esse in mente Dei; nam licet creatus artifex manu exequatur, & faciat opus, tamen intellectu præcipue dirigente operatur; in mente autem artificis creati res ipsa concepta, aut exterius visui proposita, cuius instar aliam operatur, dicitur idea, & exemplar, ut cum aliquis constituit domum, facit sibi exterius, vel cognitione prius apprehendit domum, cuius formam opere ipso imitatur, ergo in mente diuina res cognita, quam postea opere exprimit, erit idea, hac de causa Aristot. 12. Metaph. tex. 24. c. 4. artem medendi dicit sapientem

10
August.

1
Prima not.
Idea quid
proprie sig.
fice.
August.

Secunda not.
Creatura
rum ideas in
Deo omnes
concedunt,
Plato,
August.

Eusebius,
Socrates,
Iustinus,
Exodi 25.

August.
Aristot.

Seneca,
Dionysius,
August.

2

Sententia
Scoti præ
par.

Ioherior.

Okam,
Gabriel.

Maior,
Ricard.

Durand.
Alliacen.
Cum Scoto
sentimus ali.

Prior pars
sententiæ
Scoti præ
par.

Probatum
secundum.

4

Aristot.

Secunda pars
sententia con-
firmatur.

Confirmatur
sententia.

Augustini in-
terpretatio
confirmatur.

tem ipsam, quia, ut apprehensa, est idea: & artem
edificandi dicit speciem domus, ob eandem ratio-
nem. Imo vero hoc argumento probatur poste-
rior pars opinionis: quoniam si idea in mente ar-
tificis creati non est ipsum verbum interius, seu
cognitio, vel conceptus formalis, sed obiectiuus,
quia artifex non facit instar conceptus formalis
opus exterius; eadē proportionē sequitur in men-
te Dei eius essentiam, quatenus est rerum facien-
darum cognitio, & representatio, earum ideam nō
esse. Sed ex eadem ideā definitione, alia ratione
idem confirmatur, quoniam Deus non producit
res extra instar essentia suā, est enim creaturis om-
nino dissimilis: ergo ea non est idea creaturarum.
Hæc vero ratio solum videtur probare essentiam
Dei, ut dicebat Duran. non esse perfectam creatu-
rarum ideam, non tamen non esse saltem imperfec-
tam secundum aliquas perfectiones, sub ratione
tamen generica, nam sub specifica efficaciter satis
idem conuincit, ut proxime dicebamus. Postremo
suadetur testimonio Augusti. lib. 83. q. 9. 46. ubi ait
non eadem ratione conditum esse equum; & ho-
minem, hoc est, non eadem idea. Si autem essentia
diuina esset idea, eadem esset hominis, & equi, imo
omnium rerum idea: quare eadem ratione conditi
essent equus, & homo.

CAPVT II.

*Essentiam Dei, non rem obiectam diuino intellectui esse
ideam, verior sententia est.*

Prima con-
clusio.

Secunda
conclusio.

Scoti senten-
tia immutat
se naturaliter
temeritatis.

Commune Scholasticorum sententiam mul-
to probabiliorē existimo, quæ præceden-
ti omnino opposita est, & duo similiter asserit:
vnum est, creaturas ipsas obiectiue præsen-
tes diuino intellectui non posse ideas proprie vocari.
Alterum est, ipsammet essentiam Dei esse ideam,
& artem omnium creaturarum. Scholastici vero,
quos infra commemorabimus, exceptis recentio-
ribus, qui hanc sequuntur opinionem, non tam
diserte priorem partem affirmant; perspicue ta-
men docent, ideam creaturarum esse ipsammet
essentiam Dei: ex quo manifeste colligitur, eos
sensisse creaturas existentes obiectiue in diuino
intellectu ideas non esse. Recentiores tamen Tho-
mistæ non solum dicunt ideam esse ipsam diuinam
essentiam, verum etiam expresse affirmant esse non
posse creaturas ipsas obiectiue existentes in men-
te diuina, ut Scotus asseruit: prædictamque Scoti
opinionem temeritatis insimulant, quod com-
muni consensui Sanctorum Patrum, & Docto-
rum sine ratione aduersetur. Immerito tamen tam
seuere de ipsa iudicant, tum, quod non pauci Scho-
lastici, quos præcedenti capite recensimus, eam
fuerint secuti, nec multa Sanctorum testimonia
contra ipsam possint allegari, ut in hoc cap. vide-
bimus: tum etiam, quod non sine fundamento
probabili hanc sententiam prædicti auctores tra-
diderint: neque enim tres illæ rationes adductæ
probabilitate sua, & robore carent, ut seq. disput.
parebit: Neque vero, ut recentiores etiam non-
nulli arbitrantur. Scoti sententia cum errore Wi-
cleffi commune quidpiam habet, ut ex dictis per-
spicuum est: quare in merito etiam cum illius er-
rore eam confundunt.

Nihilominus tamen hæc Scoti, & aliorum opi-
nio minus probabilis mihi semper visa est: multis
vero rationibus leuioris quidem momenti præ-

termisiss, quas Theologi nostri congerunt, vnica
solum non tantum falsitatis eam redarguere, si-
mulque nostram confirmare, verum etiam funda-
menta illius pariter euertere contendam. Ratio
vero tamen directe priorem partem opinionis
Scoti refellat, & priorem quoque nostræ senten-
tiæ confirmet; efficaciter tamen posteriorem par-
tem suadet. Si enim demonstratum semel fuerit
creaturas obiectiue existentes in mente Dei non
esse rerum ideas, consequitur ideam esse ipsam di-
uinam essentiam, nihil enim aliud superesse vide-
tur ratio vero talis est.

Idea est forma illa exemplaris, quam artifex
aspiciens instar illius aliquid aliud operatur, cum
dico aliquid aliud, denoto rem ipsam productam
ab ea debere distingui: idem enim omnino sui
ipsius idea esse non potest, neque principium, et-
iam per intellectum: neque enim fieri dicitur ali-
quid instar sui, vel ad similitudinem sui, sed instar
alterius, & ad similitudinem illius. Atque ita vide-
mus ideam, primo dictam fuisse rem aliquam ob
oculos exterius propositam, quam aliquis opere
suo imitaretur. Quocirca nisi creatus artifex ex-
terius, vel in mente haberet rem aliam distinctam,
similem tamen operi, quod esset facturum, non di-
ceretur idem, aut exemplar habere. Veluti si ar-
tifex aliquis tam esset perspicaci intellectu, ut vi-
deret rem ipsam quam facturum esset: eodem pror-
sus modo, quo esset futura, & ut ipsam postea fa-
ctam proprio conceptu intueretur, & hac cogni-
tione, & conceptu ipsam fieret; non diceretur
illam habuisse tanquam ideam ipsius, nec instar
illius eam effecisse: sed opere expressisse idem om-
nino, quod mente habebat. Nuncautem quilibet
artifex creatus ita concipit mente, quod opere
exequi contendit, ut idem non sit, sed diuersum,
simile tamen proportionē, figurā, & alijs huius-
modi. Quomodo dum artifex ædificat do-
mum magnam, aut exterius, aut saltem cognitio-
ne habet paruum quoddam exemplar illius, vel si
etiam magnam domum interius apprehendat, ad
cuius similitudinem aliam ædificet, nunquam
eam concipit eo modo, quo postea videt produ-
ctam: ex quo manifeste colligitur, rem apprehen-
sam in mente artificis creati esse diuersam à re ipsa
facta, aut producta: ideoque optime dici instar
illius, quam apprehendit, aliam fecisse, quod neu-
tquam dici posset, si idem omnino artifex in
mente haberet, quod re ipsa facturum esset: atqui
Deus eodem prorsus modo in mente habet res
omnes, quas aliquando facturum est, aut produ-
cere potest: ergo illæ, quatenus obiectiue sunt in in-
tellectu diuino, non sunt ideæ rerum, quæ produ-
cendæ sunt, nec ad imitationem illarum dicitur
Deus aliquid exterius facere, sed potius idem
prorsus, quod habebat in mente, re ipsa produ-
cere. Deum vero eodem prorsus modo res intel-
lectu concipere, quo producturus est, manifeste
patet: nam cum Deus non intelligat res alieno
conceptu, sed proprio, & quidditativo, & quamli-
bet sigillatim, sicut possibilis est cum omnibus cir-
cumsstantijs peculiaribus, sit, ut eam eam producat,
nihil noui accedat scientiæ ipsius, nec nouum de
illa conceptum habeat, sed scientia eius, & conce-
ptus obiectiuus illius omnino immutatus perman-
eat aliter, quam scientia artificis creati: hic enim
non distincte concipit rem, quam facturum
est, quousque illam factam intuetur: antea vero
formam

7
Prima con-
clusio sum-
mam, quæ
est
ipsius.